



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitulvm XXII. Præterea.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

ramentum, quippe quod solum se extendebat ad sententias & mandata iusta, at verò in casu huius Capituli appellatio repugnat juramento, si videlicet absolutus appellet, priusquam audiat mandatum, vel si contra mandatum impositum friuolè & subterfugij causâ appellet, cum enim appellatio inventa sit ut subsidium innocentie, ideò fieri non debet præsidium periurij & iniquitatis, iuxta capitulum sequens.

3 Not. III. Si quis jurarit se pariturum mandatis Ecclesiæ, & ideò absolutus fuerit, postea verò parere recuset, non recidit ipso jure in excommunicationem priorem, sed à Iudice, si contumax esse videatur, in eandem excommunicationem per sententiam reducendus est.

4 Excipe nisi talis reincidentia ipso jure decreta sit, ut in *c. Eos. 2. de sent. excomm. in 6.* Et notat *Franc. hic n. 3.*

5 Not. IV. Qui post absolutionem contumax est in parendo vel satisfaciendo, ac proinde iterum excommunicatur, is absolutionem difficilius obtinere debet: non enim satis est, hoc casu ipsum permittere aut jurare, vel simplicem cautionem afferre, quod Ecclesiæ parere vel satisfacere velit, cum sit præsumptio contra ipsum propter præcedentem prævaricationem & periuriû, vel fidei violationem, quare exigitur, ut prius mandatum Ecclesiæ recipiat, & secundùm possibilitatem exequatur, quàm absoluat, ita hic & in *cap. Significavit. C. de off. ordin. & notat hic Alex. & Fran. n. 4. aliq. communiter.*

CAPITVLVM XXII.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Caius Clericus super aliqua causa ad iudicium tractus ab Episcopo suo, appellauit ad Sedem Apostolicam, & postea graua commisit scelera, cumque super his coram eodem Ordinario suo conueniretur, exceptione appellationis se tueri volebat. Ad hoc Respondit Alexand. III. quod

eum appellatio in sua iniquitate tueri non debeat, quominus excessus eius per canonicam censuram puniri debeant.

PARAPHRASIS.

1. Appellatio non suspendit jurisdictionem iudicis, nisi in causa, super qua interposita est, licet delicta non sint graua & enormia, sintque commissa etiam ante appellationem & non tantum post eam.

Not. Vnic. Appellatio non suspendit jurisdictionem iudicis à quo, nisi in causa super qua interposita est, Consentit, Capitulum *Super. 10. cap. Cum teneamur. 17. hoc tit.* Porro hic sermo est de grauibus criminibus & commissis post appellationem, quia casus iste propositus erat Pontifici. Ratio autem, quæ datur in Responsione, quia appellatio non debeat aliquem defendere in sua iniquitate, ita ut puniri non debeat, hæc, inquam, ratio locum etiam habet si delicta graua seu enormia non sint & commissa ante appellationem, ut nihilominus ab ea quispiam accusari aut puniri possit, ut dicitur in *e. 24. h. t.*

CAPITVLVM XXIII.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia Torcellana cum Canonici ad Episcopi electionem conuenissent, Archi-Diaconus nominauit C. contra quem mox obiectum, quod esset excommunicatus, & ideò appellatum, ne eligeretur: eo non obstante, Archi-Diaconus & pauci quidam alii eundem C. eligere perrexerunt, & ne contra aliquid attentaretur, ad sedem Romanam appellarunt. Nihilominus verò Primicerius cum Canonicis, & Plebanus cum assensu Cleri, vel maioris & sanioris eius partis I. elegerunt in Episcopum. Hæc Controuersia cum Alexandro. III. per Abbatem S. Felicis & Presbyt. R. proposita fuisset; Respondit ipse, si Archi-Diaconus, uti